

quod in præceptis legitimis acceperunt, quoniam id quod lex imperat, fides impertiat. Nam ut interim omittamus legis multa præcepta, & hoc inde cōmemoremus, quod ad cōmemorandum elegit Apostolus, cum dicit lex, Non concupisces, quid uideatur aliud imperare, nisi ab illicitis cupiditatibus continentia? Animus quippe uelut pondere, amore fertur quocumque fertur. Iubemur utique detrahare de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus charitatis, donec illud consumatur, hoc perficiatur. Plenitudo enim legis charitas, & tamen de ipsa continentia uide quid scriptum sit: Et cum scirem, inquit, quia nemo potest esse continens nisi deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum, adij dominum & precatus sum illum. Nunquid dixit: Et cum scirem quia nemo potest esse continens, nisi per proprium liberum arbitrium, & hoc ipsum erat sapientia, scire à meipso esse hoc bonum? Non planè hoc dixit, quod quidam in sua uanitate dicunt, sed quod fuit in sanctæ scripturæ ueritate dicendum. Cum scirem, inquit, quia nemo esse potest continens, nisi deus det. Iubet ergo deus continentiam, & dat cōtinentiam: iubet per legem, dat per gratiam: iubet per litteram, dat per spiritum. Lex enim sine gratia facit abundare delictum, & littera sine spiritu occidit. Iubet ideo, ut facere iussa conati, & in nostra infirmitate sub lege fatigati, adiutorum gratia poscere nouerimus, & si quid facere potuerimus operis boni, ei qui adiuuat non sumus ingrati: hoc & iste fecit. Id enim eum sapientia docuit cuius esset hoc donum. Neque enim uoluntatis arbitrium ideo tollitur, quia iuuatur: sed ideo iuuatur, quia nō tollitur. Qui enim deo dicit, adiutor meus esto, confitetur se uelle implere quod iussit, sed ab eo, qui iussit, adiutorium poscere, ut possit. Sic & iste, cum sciret neminem esse posse continentem, nisi deus det, adijt dominum, & deprecatus est: utique uolens adijt, uolens precatus est, nec petisset nisi esset uoluntas. Sed nisi petisset, quantum posset uoluntas? Quia & si possit antequam petat, quid ei prodest, nisi illi agat gratias ex eo quod potest, à quo petendum est quod nōdum potest? Unde etiam qui iam continens est, non habet utique continentiam, nisi assit uoluntas: sed nisi accepisset, quid haberet uoluntas? Quid enim habes, inquit, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi nō acceperis? Id est, quid gloriaris quasi à teipso habeas, quod si non accepisses, à teipso habere non posses. Hoc autem dictum est, ut qui gloriatur, non in seipso, sed in domino gloriatur: & qui nondum habet unde gloriatur, non à seipso speret, sed dominum precetur. Satius est enim minus quicquam habere quod à deo petat, quam plus habere quod sibi tribuat: quoniam expedit ab imo surgere, quam ex alto cadere. Deus enim, scriptum est, superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Ad abundantiam igitur delictorum lex nos docet quid uelle debeamus, nisi adiuuet gratia, ut quod uolumus, ualeamus, & quod ualuerimus, impleamus. Adiuuabit autem, si nō de nostris præsumētes, alta sapiamus, sed humilibus cōsentientes, & de his quæ iam possumus, gratias agamus, & pro his quæ nondum possumus, deum suppliciter inhiante uoluntate poscamus, adimiculantibus orationem nostram nunc fructuosis operibus, dando, ut detur nobis: dimittendo, ut dimittatur nobis. Quod autem dicunt infantem morte præuentum, non baptizatum perire non posse, quoniam sine peccato nascitur, non hoc dicit Apostolus: & arbitror esse melius ut Apostolo potius quam istis credamus. Dicit enim ille doctor gentium, in quo Christus loquebatur: Per unum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Et paulo post dicit: Nam iudicium quidem ex uno delicto in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Proinde isti, quem forte inuenerint infantem nō ex illius unius hominis concupiscentia procreatum, ipsum dicant illi damnationi non esse obnoxium, nec per Christi gratiam ab illa damnatione esse liberandum. Quid est enim ex uno delicto in condemnationem, nisi illo delicto quo deliquit Adam? Et quid est ex multis delictis in iustificationem, nisi quia Christi gratia non solum illud delictum soluit, quo obstringuntur infantes, ex illo uno homine procreati, sed etiam multa delicta, quæ cum creuerint homines, addunt malis moribus suis? Tamen & illud unum, quo est obligata propago carnalis, quæ ab illo primo

Rom. 13
Sap. 8

2. Cor. 3

1. Cor. 4

Iacobi 4

Questio ter-
tia de peccato
originis.

Rom. 5

primo